

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXVI - N. 2

1994

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1994

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex allocutione Summi Pontificis ad sodales consociationis internationalis iuri canonico promovendo	155
Ex allocutione Summi Pontificis ad eos qui conventui de «I cattolici e la società pluralista. Il caso delle leggi imperfette» a Congregatione pro Doctrina Fidei promoti interfuerunt	157

ACTA CONSILII

Responsio ad propositum dubium	159
Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	161
Pontificii Consilii Publicationes	162

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

Epistula ad Catholicae Ecclesiae Episcopos de receptione Communionis Eucharisticae a fidelibus qui post Divortium novas inierunt nuptias	163
Responsa ad proposita dubia circa «interclusionem uteri» et alias quaestiones	169

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio VIII)	171
Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio IX)	199

EX ACTIS COMM. CARDINALITIAE PRO STUDIIS PRAEPARATORIIS CODIFICATIONIS ORIENTALIS

«Codificazione Canonica Orientale» (1926-1935). Verbalis delle Adunanze	234
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	333
Notitiae	335

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

I

COETUS STUDII « DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »

Sessio VIII

(dd. 19-24 ian. 1970 habita)

Diebus 19-24 ianuarii 1970, in Aula huius Pontificiae Commissionis convenerunt Consultores et Collaboratores Coetus studii « De Institutis perfectionis » sub directione Rev.mi P. Raimundi Bidagor S.J., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant Rev.mus Relator; Exc.mi tres et Rev.mi undecim Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Heranz, a studiis Commissionis. Aberant, legitime impediti, Exc.mi tres et Rev.mi tres, ac Ill.mus unus Consultores.

Antequam disceptatio incipiat de quaestionibus in hac sessione tractandis, Rev.mus P. Bidagor quaerit an quis animadversiones proponendas habeat ad Relationem conclusivam VII^{ae} Sessionis. Nulla fit animadversio, ideoque Relatio haec unanimiter approbatur. Proponente tamen Rev.mo primo Consultore, additur in pag. 41* quoad 2^{um}: « Parva fit discussio de hac re ».

Transitus ergo fit ad examen quaestionum quae propositae sunt.

I. DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM

Art. I – « DE PRAEPARATIONE RECIPIENDORUM »

Rev.mus Relator in mentem adstantium revocat Articulum Primum huius Tituli (nempe « De praeparatione recipiendorum ») iam in sessione VII^a discussum esse. Canon vero indicans personas quae invalide ad Institutum perfectionis admittuntur, statutis casibus in eodem canone inclu-

* Cfr. In hoc volumine p. 53.

dendis remissus est Coetui restricto pro nova formulatione numerorum 2, 4 et 5. Propterea in hac VIII^a sessione ab examine huius canonis quarti Articuli Primi incipiendum est. Postea examini Consultorum subiicietur schema canonum Articuli Secundi (« De receptorum institutione »), uti propositum etiam est a Relatore in Relatione introductiva quae his actibus adnectitur (cfr. Adnexum), quaeque confecta est iuxta deliberata in adunationibus Coetus restricti mense decembri habitis.

Antequam disceptatio fiat de formula definitiva can. 4 Art. primi, Rev.mus Relator proponit ut rubrica huius primi Articuli non remaneat « De praeparatione recipiendorum » sed aptius mutetur in « De conditionibus ad recipiendum » vel « De requisitis ad candidatos recipiendos », quippe quod fere omnes hi canones conditiones statuunt sive admittentis sive admittendorum.

Propositio haec suffragatur et placet maioritati (12 contra 2) ut rubrica huius Art. 1 ita sonet: « De requisitis ad candidatos admittendos ».

Transitus ergo fit ad examen novae formulae canonis quarti, quae ita exarata est:

Invalide in Institutum admittitur:

- 1) Qui decimum septimum aetatis annum nondum compleverit;
- 2) Conversus, qui in fide catholica tres annos nondum transegerit, exceptis casibus a iure particulari praevisis;
- 3) Coniux, durante matrimonio;
- 4) Qui vinculo cum aliquo Instituto actu obstringitur;
- 5) Qui occultaverit: *a)* se in aliquod Institutum antecederet admissum fuisse; *b)* se gravi aere alieno gravatum esse; *c)* se obnoxium esse reddendae rationi iudici vel alii auctoritati legitime inquirenti.

Numerus 1 canonis iam approbatus fuit in praecedenti sessione.

Quoad n. 2, Exc.mus secundus Consultor animadvertit verba « exceptis casibus a iure particulari praevisis » intelligi posse ac si ius particulare includere debeat omnes possibiles casus in quibus dispensari possit hoc impedimentum dirimens. Melius ergo esset haec verba ita emendare « nisi brevius tempus in iure particulari statuatur » vel « nisi aliud iure particulari statuatur ».

Rev.mus tertius Consultor quaerit ut deleatur formula « exceptis... praevisis », quia est conditio impediens ideoque non admitteret exceptionem, nisi in casibus pro quibus dispensatio S. Sedi postuletur.

Rev.mus primus Consultor ponit quaestionem de baptizatis qui nullam habent institutionem religiosam: possuntne dici « conversi »?

Rev.mus quartus Consultor aliam ponit quaestionem, nempe de monacho orthodoxo qui admissionem in Institutum perfectionis, et quidem in monasterium catholicum exoptat: potestne hoc in casu sermo fieri de « converso »? Ipse Rev.mus sententiam contrariam tenet, ideoque proponit ut aptius dicatur: « Neophitus, qui ad fidem catholicam accedit ».

Rev.mus quintus Consultor insistit in necessitate relinquendi possibilitatem dispensationis iuri particulari vel Superioribus iuxta diversorum locorum ac personarum adiuncta.

Rev.mus Relator proponit ut dicatur « nisi iudicio Superiorum quibus competit brevius tempus in casu particulari sufficiat ». Animadvertit tamen Rev.mus tertius Consultor hic agi de invaliditate, de impedimento dirimente, quod ab ipso iure determinandum est; non potest enim res relinquere iudicio tantum Superioris.

Fit adhuc discussio, cuius in fine ponitur quaestio an servandum sit in canone hoc impedimentum dirimens. Exitus suffragationis est sequens: Placet ut servetur: 2; Non placet: 12.

Numerus ergo 2 supprimitur.

Numerus 3 canonis (nunc n. 2) iam approbatus fuit in praecedenti sessione.

Quoad n. 4 (nunc n. 3) quaerit Rev.mus primus Consultor quid significetur sub verbo « vinculo ». Respondet Rev.mus Relator hic evidenter agi de vinculo sacro, idest per vota vel alia sacra ligamina votis aequiparata (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 44), quibus efficitur cooptatio in Institutum perfectionis. Novitii ergo non includuntur quia iuxta Instructionem *Renovationis causam* his adhuc non imponitur vinculum sacrum.

Proponitur ergo, et unanimiter accipitur, ut hoc impedimentum in canone ponatur sub verbis: « Qui vinculo cooptationis cum aliquo Instituto actu obstringitur ».

Numerus 5 canonis (nunc n. 4) approbatus fuit quoad substantiam in praecedenti sessione. Coetus restrictus Consultorum formulam definitivam examini totius Coetus subiicit.

— *Ad litt. a)* Placet omnibus uti iacet.

— *Ad litt. b)*

Rev.mus primus Consultor dicit verbum « gravi » sibi non placere, quia non facile noscitur quando debitum sit « grave ». Animadvertit tamen Rev.mus Secretarius gravitatem rei ex adiunctis pendere; saepe in lege adhibentur verba similia: « pars notabilis », « causa gravis », etc., quorum interpretatio iurisprudentiae relinquitur.

Exc.mus sextus Consultor quaerit an iudex huius gravitatis sit ipse can-

didatus an moderator Instituti. Respondet Rev.mus Relator hanc rem obiective potiusquam subiective perpendendam esse; praeterea elementum essentiale huius impedimenti est occultatio rei.

Nulla alia fit animadversio. Quapropter textus propositus ab omnibus Consultoribus approbatur, uno tamen excepto (primus Consultor).

— *Ad litt. c)*

Rev.mus primus Consultor obiectionem movet contra verba «legitime inquirenti», quae non omnibus casibus conveniunt. Exc.mus secundus Consultor ponit quaestionem de homicidio secreto, circa quod iudex nihil inquit sed factum utique manet possibiliter persequibile.

Animadvertunt Rev.mi Secretarius et tertius Consultor totam quaestionem hic esse non in facto, sed in occultatione facti scienter facta a candidato.

Fit tamen suffragatio cuius exitus est:

Placet textus: 11; — Non placet: 3.

Antequam disceptationi de hoc canone finis imponatur Rev.mus Relator, ad mentem Rev.mi septimi Consultoris, proponit ut quae dicuntur sub n. 2 huius canonis ponantur forma praeceptiva uti par. 2 can. 6 huius Art. 1. Formulae quae a Rev.mo Relatore proponuntur sunt duae:

«Moderatores quibus competit eos in Institutum perfectionis ne admittant qui ex alia religione vel ex atheismo ad fidem catholicam veniunt (ad communionem cum Ecclesia catholica veniunt) antequam eorum constantia in eadem comprobata fuerit».

vel

«In Institutum perfectionis ne admittantur qui fidem catholicam amplectuntur ex alia religione vel ex atheismo provenientes nisi transactis tribus annis ab eorum ingressu in Ecclesiam catholicam».

Istae duae formulae Consultoribus non omnino placent, quare parva facta disceptatione Rev.mus Relator novam formulam proponit, quae ab omnibus recipitur. Textus hic, ponendus uti par. 2 can. 6, ita sonat: «Moderatores in Institutum perfectionis ne admittant neophitos vel eos qui ad plenam communionem cum Ecclesia catholica venerunt antequam eorum constantia comprobata fuerit».

II

Art. II — «DE RECEPTORUM INSTITUTIONE»

Transitus deinde fit ad examen schematis canonum «De receptorum institutione», qui sunt sequentes.

Canon 1

Probationis tempus, quo vita in Instituto incipitur, ad hoc ordinatur ut novitii vocationem divinam, et quidem Instituti propriam, pressius agnoscant, vivendi modum Instituti experiantur, mente et corde eius spiritu informentur atque ipsorum propositum et idoneitas comprobentur.

Fit discussio quoad verba «vocationem divinam, et quidem Instituti propriam». Quidam enim Consultores (Exc.mus sextus ac Rev.mi octavus et nonus Consultores) dicunt se non negare vocationem esse divinam, quia omnis vera vocatio in Ecclesia a Deo provenit; attamen vocatio est semper personalis, ideoque verba «vocatio» et «charisma» adhiberi debent pro personis, non pro Institutis.

Rev.mus Relator et alii Consultores (Rev.mi tertius, primus, decimus et quintus Consultores) his dictis respondent vocationem esse utique personalem, sed esse semper vocationem differentiatam seu specificam, idest ad propriam sequendam vocationem in determinato Instituto. Doctrina praeterea Decreti *Perfectae caritatis* (cfr. nn. 8, 25 et passim) non coarctat notionem vocationis et charismatis ad sensum tantum personalem, sed fit etiam sermo de vocatione cuiusque Instituti propria iuxta charismata singulorum Fundatorum.

Discussionem expleta fit suffragatio, cuius exitus est:

Placet textus uti iacet: 11 — Non placet: 3.

Canon ergo approbatur a maiori parte Consultorum absque emendationibus.

Canon 2

Novitiatus constitutio seu erectio eiusdemque suppressio fiant per decretum scripto datum Supremi Moderatoris Instituti de consensu sui Consilii.

Textus omnibus placet uti propositus est, cum his tantum duabus parvis emendationibus: in lin. 1 dicitur «fiunt» loco «fiant» (Exc.mus undecimus Consultor); in lin. 3 dicitur «eius Consilii» loco «sui Consilii» (Rev.mus septimus Consultor).

Canon 3

Praeter conditiones forte a iure particulari appositas, novitiatus, ut valeat, debet:

- 1) initium habere modo a iure particulari statuto;
- 2) manere sub continua directione magistri;
- 3) peragi iuxta rationem institutionis a iure particulari definiendam;
- 4) perdurare per spatium temporis unius saltem anni continui, salvis praescriptis can...

Rev.mus Relator illustrat notas explicativas quae relate ad hunc textum canonis habentur in propria relatione introductiva (cfr. *Adnexum*, pp. 188-189). Agitur enim de reformatione generali hodiernae disciplinae Codicis quoad hanc quaestionem, ita ut eae normae pro universis Institutis perfectionis valeant, salvis normis specificis quae postea ponendae sunt pro diversis speciebus Institutorum.

His attentis, textus canonis fere omnibus Consultoribus placet quoad substantiam. Attamen Rev.mus quintus Consultor quaerit ut sub clausula irritanti ponantur tantum praescriptiones quae habentur in nn. 1 et 4, caeterae normae dentur sub modo tantum praeceptivo.

Huic propositioni accedit Rev.mus primus Consultor, et partim quoque Rev.mi decimus et septimus Consultores, qui admittunt ut sint ad validitatem normae quae habentur sub nn.1, et 4, non autem norma in n. 2 proposita, quia haec conditio non facile probari potest.

Rev.mus Relator respondet de his quaestionibus videndum esse in examine singularum conditionum quae ponendae proponuntur in iure communi. Quoad formulam tamen introductoriā huius canonis eam ita emendandam censet: «Praeter conditiones quae a iure particulari apponi possunt novitiatus, ut valeat, debet». Haec propositio ab omnibus recipitur, uno excepto (Rev.mus duodecimus Consultor), qui mavult ut explicite dicatur «ad validitatem apponi possunt».

Transitus ergo fit ad examen singulorum numerorum:

— *ad n. 1*: Nulla proponitur emendatio, ideoque textus approbatur.

— *ad n. 2*: Exc.mus secundus Consultor animadvertit conditionem in hoc numero positam non facile probari vel determinari posse, quapropter hoc praescriptum, si ponatur tanquam requisitum ad validitatem novitiatus, locum dare potest scrupulis et anxietatibus conscientiae. His dictis alii accedunt Consultores, inter quos Rev.mi tertius decimus, quintus, quartus decimus et primus Consultores, qui malunt ut haec norma ponatur modo tantum praeceptivo.

Rev.mus tertius Consultor, cui accedunt Rev.mi Secretarius et Relator, proponit ut loco «continua directione» dicatur «constantī directione»; ita enim significaretur hic agi de continuitate potius morali quam physica. At-

tamen haec clausula servetur ad validitatem, ne eius valor evacuetur. Magister est responsabilis efformationis ideoque dari debet in hac efformatione apte praebenda constans relatio personalis cum novitiis.

Rev.mi decimus et septimus Consultores putant hanc normam, quam quidem sustinendam censent, ponendam esse modo tantum praeceptivo. Attamen praeceptum sit clarum, ne disperdatur necessaria haec relatio personalis magistrum inter et novitium, uti evenire potest si efformatio datur ab aliquo coetu magistrorum («équipe»).

Ita expleta disceptatione, suffragationi submittitur sequens quaesitum: «An placeat ut norma huius n. 2 maneat tanquam conditio ad validitatem». Exitus suffragationis est: Placet 6 — Non placet 8.

Post hanc suffragationem, Exc.mus undecimus Consultor quaestionem ponit sequentem: utrum Consultores censeant directionem personalem continuam ad essentiam pertinere novitiatus, quia hoc in casu norma ponenda esset sub conditione nullitatis.

Parva fit discussio de hac quaestione, cuius in fine confirmatur suffragatio facta. Omnes tamen sunt concordēs in necessitate aut saltem in magna convenientia huius relationis personalis inter magistrum et novitium, et hoc quidem dici debet modo praeceptivo.

— *ad n. 3*: Exc.mus secundus Consultor, cui accedunt Exc.mus sextus ac Rev.mi quintus, quartus decimus, primus et alii Consultores, dubitat de opportunitate vel convenientia statuendi hanc conditionem ad validitatem. Quod hoc fieri debet est certum, sed melius dicendum est alio modo.

Rev.mi Secretarius et Relator animadvertunt intensionem huius numeri esse ut tota efformatio novitiorum iuxta spiritum detur cuiusque Instituti proprium; magister enim mutare non potest spiritum et traditiones instituti. Ipsi tamen Rev.mi Patres, sicut etiam alii Consultores, accedunt ad propositionem Exc.mi secundi Consultoris, quia hic finis obtineri quoque potest etiam si norma non ut conditio invalidans sed alio modo formulatur.

— *ad n. 4*: Rev.mus Relator hunc numerum illustrat iuxta rationes allatas in nota 6^a suae relationis introductivae (cfr. *Adnexum*, p. 189), quibus rationibus Consultores accedunt, excepto Rev.mo primo Consultore, qui delenda censet verba «salvis praescriptis can...» (modi et conditiones interruptionis — ait Rev.mus Pater — in canone successivo ponantur).

Facta ergo suffragatione textus ab omnibus admittitur.

His omnibus attentis quae approbata sunt in disceptationibus de singulis numeris, Rev.mus Relator sequentem proponit novam formulationem huius can. 3:

§1. Praeter conditiones quas apponere potest, ius particulare ad validitatem novitiatus definire debet tam modum et tempus eius initii quam durationem quae unum saltem annum continuum complectatur oportet, salvis praescriptis cann...

§ 2. Scopus autem novitiatus exigit ut sub constanti directione magistri a novitiis peragatur iuxta rationem institutionis naturae et fini cuiusque Instituti perfectionis adaptatam a iure particulari definiendam.

Ita emendetur textus claritatis causa: «...ius particulare tanquam requisita validitatis definiat tam modum et tempus...».

Rev.mi quartus et primus Consultores quaerunt an possibile sit definire annum sensu quidem morali. Respondet Rev.mus Secretarius hoc pendere a regulis generalibus supputationis temporis.

Exc.mus secundus Consultor proponit, quia non sunt necessaria, ut in par. 2 deleantur verba «a novitiis». Propositio accipitur.

Nulla alia animadversio fit, quapropter haec nova formula canonis approbatur, cum duabus supradictis emendationibus.

Canon 4

Hic est textus qui proponitur:

§ 1. Novitiatus regimen, sub auctoritate moderatorum maiorum, uni magistro reservatur.

§ 2. Novitorum magister sit sodalis in Institutum definitive cooptatus et legitime designatus iuxta requisita iuris particularis.

§ 3. Magistro, si opus fuerit, cooperatores dari possunt qui in omnibus ei subsint quoad regimen novitiatus et institutionis rationem.

Rev.mus quintus Consultor obiicit magistros non exercere regimen quod Superioribus reservatur. Huic animadversioni alii accedunt Consultores. Quapropter unanimiter approbatur, proponente Rev.mo Relatore, ad mentem Instructionis *Renovationis causam*, nn. 30-31, ut in §§ 1 et 3 sequentes fiant emendationes: «Novitiatus moderamen...»; «... quoad moderamen novitiatus...».

Rev.mus decimus quartus Consultor proponit, claritatis causa, inversionem ordinis inter §§ 1-2. Propositio recipitur.

Nulla alia emendatio proponitur, quare, facta suffragatione quoad integrum textum canonis, hic approbatur cum supradictis mutationibus.

Canon 5

Textus qui examini subiicitur est sequens:

§ 1. Institutioni novitiorum praeficiantur sodales apte selecti et sedulo praeparati qui opus gravissimum pro bono totius Instituti fructuose et stabili modo absolvere possint.

§ 2. Magistri eiusque cooperatorum est candidatorum vocationem discernere atque eos gradatim ad vitam perfectionis Instituti propriam rite ducendam efformare iuxta normas a iure particulari statutas.

§ 3. Novitii ad virtutes humanas et christianas excolendas a magistro eiusque cooperatoribus adducantur; per humilitatem cordis, animi ardorem et suipsius abnegationem in plenioram vitae spiritualis viam introducantur; in vitae interioris principiis applicandis informentur; ad mysterium salutis contemplandum et S. Scripturas legendas et meditandas instruantur; in ratione vitae Deo per consilia evangelica consecratae instituantur; Instituti indolem, finem, leges, historiam atque spiritualitatem edoceantur et in vitae modo eiusdem Instituti proprio exercentur.

§ 4. Novitii persentiant responsabilitatem propriae formationis sub magistri ductu peragenda in libera cooperatione cum divinae vocationis gratia.

§ 5. Curent sodales ut in opere institutionis novitiorum pro parte sua cooperentur vitae exemplo et oratione.

Quoad § 1:

Suggerit Exc.mus undecimus Consultor ut quaedam in hac paragrapho addantur ad mentem can.559, § 3 hodierni Codicis.

Animadversio placet, ideoque diversae proponuntur additiones: «ab aliis curis sufficienter liberati» (primus Consultor); «...quapropter ab omnibus officiis oneribusque vacare debent, quae novitiorum curam impediant» (Relator). Tandem ab omnibus admittitur formula sequens: «Institutioni novitiorum praeficiantur sodales apte selecti et sedulo praeparati qui aliis oneribus non impediti opus gravissimum...».

Exc.mus secundus Consultor proponit ut loco «pro bono totius Instituti», dicatur «pro bono totius Instituti et Ecclesiae...». Quod omnibus placet.

Nulla alia fit animadversio in hac paragrapho, quae approbatur cum duabus supradictis additionibus.

Quoad § 2:

Fit parva discussio de contentis in hac paragrapho, sed nulla proponitur

animadversio. Quapropter, facta suffragatione, textus unanimiter approbatur uti iacet.

Quoad § 3:

Multa quae in hac § 3 dicuntur — ait Rev.mus quintus Consultor — non sunt res iuridicae; sufficeret ergo citatio in nota Instructionis *Renovationis causam*. Alii tamen Consultores, inter quos Rev.mus tertius, animadvertunt quod, ad mentem Synodi Episcoporum, in canonibus exarandis novi Codicis vitari debet «iuridicismus», ideoque normae etsi praecisione iuridica donentur cum stylo pastoralis redigendae sunt.

Rev.mus primus Consultor proponit, claritatis causa, ut in initio ita textus redigatur: «Novitii a magistro eiusque cooperatoribus ad virtutes humanas et christianas excolendas adducantur». Placet haec mutatio ordinis.

Rev.mo quarto Consultori non placet expressio «animi ardorem» quia videtur ambigua. Huic animadversioni alii accedunt Consultores, ideoque approbatur, proponente Rev.mo decimo Consultore, sequens emendatio: «caritatis ardorem».

Suggerit Rev.mus tertius Consultor ut, in lin. 3 textus ita mutetur: «in plenioram perfectionis viam introducantur». Propositio recipitur.

Rev.mus decimus Consultor sequentem proponit additionem in lin. 6: «... vitae Deo hominibusque in Christo per consilia...». Placet animadversio.

Denique, proponente Rev.mo primo Consultore, haec introducitur mutatio textus: «Instituti indolem, finem, spiritualitatem, leges atque historiam edoceantur...».

Textus ergo huius § 3 ita manet approbatus, post supradictas emendationes:

«Novitii a magistro eiusque cooperatoribus ad virtutes humanas et christianas excolendas adducantur; per humilitatem cordis, caritatis ardorem et suiipsius abnegationem in plenioram perfectionis viam introducantur; in vitae interioris principiis applicandis informantur; ad mysterium salutis contemplandum et S. Scripturas legendas et meditandas instruuntur; in ratione vitae Deo hominibusque in Christo per consilia evangelica consecratae instituuntur; Instituti indolem, finem, spiritualitatem, leges atque historiam edoceantur et in vitae modo eiusdem Instituti proprio exercentur».

Quoad § 4:

Exc.mus undecimus Consultor hunc proponit novum textum: «Novi-

tii, personalem responsabilitatem erga divinae vocationis gratiam persentientes, ad suipsius formationem active cum magistro cooperentur ».

Huic propositioni accedunt, saltem quoad substantiam, alii, inter quos Exc.mus secundus Consultor, quia — ita dicunt — in textu a Relatore proposito emphasis ponitur in verbis «sub magistri ductu». Formatio autem est praeprimis collaboratio inter gratiam et personam, minime inter magistrum et alumnum. Hic habentur duae actiones distinctae, actio nempe alumni et actio magistri, quae duae actiones simul cooperari debent in formatione.

Rev.mus Relator, ad mentem Exc.mi undecimi Consultoris, hanc novam formulam proponit: «Novitii, propriae responsabilitatis conscii, ita cum magistro suo active collaborent, ut gratiae divinae vocationis fideliter respondeant».

Facta suffragatione, eius exitus est: Placet 7 — Non placet 2 — Placet iuxta modum 3 (Exc.mus sextus ac Rev.mi quartus et primus Consultores).

Modi autem propositi sunt sequentes:

1) «...propriae responsabilitatis *in sua formatione* conscii... (Exc.mus sextus Consultor).

Modus suffragationi submittitur, sed necessariam maioritatem suffragiorum non obtinet, quia habentur 6 Placet ex 12 votantibus.

2) Supprimantur verba «propriae responsabilitatis conscii» (Rev.mus quartus Consultor).

Hic tamen modus non amplius sustinetur post suffragationem factam modi praecedentis.

3) «... ita cum magistro, *in sua formatione active* collaborent, ut...» (Rev.mus primus Consultor).

Facta suffragatione, eius exitus est: Placet 4 — Non placet 8.

Approbatum ergo, absque emendationibus, nova formula a Rev.mo Relatore proposita.

Quoad § 5:

Censet Rev.mus primus Consultor, cui accedit Rev.mus tertius decimus, aptius dicendum esse: «Curent *ceteri* sodales...».

Respondet Rev.mus Relator hoc necessarium non esse, quia novitii adhuc non sunt sodales. Proponit tamen ut dicatur: «Curent Instituti sodales...». Quod placet.

Nulla alia fit animadversio, ideoque, facta suffragatione quoad integrum § 5, textus unanimiter approbatur cum supradicta emendatione.

Canon 6

Formula quae examini subiicitur ita sonat:

« In Institutis quae plures retinent sodalium classes, novitiatus pro una classe peractus valet pro altera, nisi ius particulare aliter determinet ».

Rev. mus tertius decimus Consultor proponit suppressionem huius canonis. Si nihil enim dicitur in novo Codice quoad hanc quaestionem, hodiernus canon 558 simpliciter cadit.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, inter quos Rev. mus tertius. Alii tamen censent textum servandum esse, quia si nihil dicitur aliquis deducere potest disciplinam praecedentem manere. Alii denique Consultores putant quoque textum esse servandum, sed cum emendationibus: ex. gr. « plures habent » loco « plures retinent » (primus Consultor).

Duae ergo suffragationes in fine discussionis fiunt:

1) An placeat ut textus huius canonis simpliciter deleatur.

Exitus suffragationis est: Placet 3 — Non placet 9.

2) An placeat textus ita emendatus: « In Institutis quae plures habent sodalium classes, novitiatus pro una classe peractus valet pro altera, nisi iure particulari aliud caveatur ».

Exitus suffragationis est: Placet 12 — Non placet 0.

Canon 7

Hic est textus propositus:

« Perdurante novitiatu, studia quae alumnis permittuntur ad eorum spiritualem formationem dirigantur et ita ordinentur ut nociva non evadant solidae eorum institutioni ».

Post brevem disceptationem, in qua in luce ponitur convenientia pertractandi hunc materiam, modo diverso, ubi de Institutis religiosis ac de Institutis saecularibus agatur, unanimiter approbatur ut hic canon non amplius maneat in hoc loco.

Canon 8 (nunc can. 7)

Formula examini subiecta ita sonat:

§ I. Novitius potest Institutum quolibet momento libere deserere aut a competenti auctoritate Instituti dimitti, iusta de causa et ad normam iuris particularis.

§ 2. Exacto novitiatu, si idoneus iudicetur, novitius in Institutum cooptetur, secus dimittatur vel si dubium supersit de sua idoneitate, potest a competenti auctoritate Instituti probationis tempus prorogari, non tamen ultra sex menses.

Nulla fit animadversio generalis.

Quoad § 1:

Libertas Institutum deserendi — ait Exc.mus secundus Consultor — est utique sustinenda. Agitur tamen de re gravi ideoque oportet commendare novitiis ut consilia prudenter quaerant. Animadversio placet.

Exc.mus sextus et Rev.mi quartus et primus Consultores delenda censent verba « iusta de causa », quia si eae causae in canone non specificantur, quod non fit, aptius esset integram rem iuri particulari remittere.

Rev.mus tertius Consultor sequentem proponit novam formulam: « Iusta de causa et servato iure particulari, novitius potest quolibet momento Institutum deserere aut a Competenti Auctoritate dimitti ».

Aliis tamen Consultoribus — inter quos Rev.mo decimo et tertio decimo — haec formula non placet, quia tunc clausula « iusta de causa » aequae refertur tum ad liberam discessionem tum ad dimissionem novitii. Causa utique gravis est necessaria etiam pro libera discessione, sed non potest per legem cogi novitius ad ipsam causam manifestandam.

Ita expleta discussione, Rev.mus Relator sequentem novum textum proponit, qui ab omnibus approbatur: « Novitius, collatis prudenter consiliis, potest Institutum libere deserere; auctoritas autem competens Instituti potest eum dimittere servato iure particulari ».

Quoad § 2:

Rev.mus decimus Consultor proponit, et propositio admittitur, ut in fine textus dicatur « ad normam iuris particularis ». Ita norma fit magis flexibilis et pro omnibus Institutis perfectionis valet.

Nulla alia proponitur animadversio, ideoque textus manet approbatus, cum supradicta tantum emendatione.

Ita expletur examen schematis canonum « De receptorum institutione ». Canones autem huius schematis ita manent definitive approbati:

Can. 1

Probationis tempus, quo vita in Instituto incipitur, ad hoc ordinatur ut novitii vocationem divinam, et quidem Instituti propriam, pressius agno-

scant, vivendi modum Instituti experiantur, mente et corde eius spiritu informentur atque ipsorum propositum et idoneitas comprobentur.

Can. 2

Novitiatus constitutio seu erectio eiusdemque suppressio fiunt per decretum scripto datum Supremi Moderatoris Instituti de consensu eius Consilii.

Can. 3

§ 1. Praeter conditiones quas apponere potest, ius particulare tanquam requisita validitatis definiat tam modum et tempus eius initii quam durationem quae unum saltem annum continuum complectatur oportet, salvis praescriptis cann...

§ 2. Scopus autem novitiatus exigit ut sub constanti directione magistri peragatur iuxta rationem institutionis naturae et fini cuiusque Instituti perfectionis adaptatam a iure particulari definiendam.

Can. 4

§ 1. Novitiorum magister sit sodalis in Institutum definitive cooptatus et legitime designatus iuxta requisita iuris particularis.

§ 2. Novitiatus moderamen, sub auctoritate moderatorum maiorum, uni magistro reservatur.

§ 3. Magistro, si opus fuerit, cooperatores dari possunt qui in omnibus ei subsint quoad moderamen novitiatus et institutionis rationem.

Can. 5

§ 1. Institutioni novitiorum praeficiantur sodales apte selecti et sedulo praeparati qui aliis oneribus non impediti opus gravissimum pro bono totius Instituti et Ecclesiae fructuose et stabili modo absolvere possint.

§ 2. Magistri eiusque cooperatorum est candidatorum vocationem discernere atque eos gradatim ad vitam perfectionis Instituti propriam rite ducendam efformare iuxta normas a iure particulari statutas.

§ 3. Novitii a magistro eiusque cooperatoribus ad virtutes humanas et christianas excolendas adducantur; per humilitatem cordis, caritatis ardorem et suipsius abnegationem in plenioram perfectionis viam introducantur; in vitae interioris principiis applicandis informentur; ad mysterium salutis contemplandum et S. Scripturas legendas et meditandas instruantur; in ratione vitae Deo hominibusque in Christo per consilia evangelica conse-

cratae instituantur; Instituti indolem, finem, spiritualitatem, leges atque historiam edoceantur et in vitae modo eiusdem Instituti proprio exercentur.

§ 4. Novitii, propriae responsabilitatis conscii, ita cum magistro suo active collaborent ut gratiae divinae vocationis fideliter respondeant.

§ 5. Curent Instituti Sodales ut in opere institutionis novitiorum pro parte sua cooperentur vitae exemplo et oratione.

Can. 6

In Institutis quae plures habent sodalium classes, novitiatus pro una classe peractus valet pro altera, nisi iure particulari aliud caveatur.

Can. 8 (nunc 7)

§ 1. Novitius, collatis prudenter consiliis, potest Institutum libere deserere; auctoritas autem competens Instituti potest eum dimittere, servato iure particulari.

§ 2. Exacto novitiatu, si idoneus iudicetur, novitius in Institutum cooptetur, secus dimittatur vel si dubium supersit de eius idoneitate, potest a competenti auctoritate Instituti probationis tempus prorogari, non tamen ultra sex menses, ad normam iuris particularis.

III

Art. III – « DE COOPTATIONE IN INSTITUTUM »

In fine huius Sessionis studii Rev.mus Relator schema canonum proponit « De cooptatione in Institutum ». Animadvertit tamen Rev.mus hos canones adhuc discussos non esse in parvo Coetu Consultorum. Agitur ergo de prima adumbrata propositione schematis quod ita exaratum est:

Can. primus

Cooptatione novitius fit sodalis Instituti perfectionis; obligationem assumit particularia eius statuta servandi, legitimo moderatori oboediendi, fit particeps iurium quae suo statui consentanea sunt et officia imposita ad normam iuris acceptare et adimplere tenetur.

Can. secundus

§ 1. In quolibet perfectionis Instituto cooptatio, exacto novitiatu, ad

tempus definitum fiat quod triennio brevius non sit. Ultra novennium vero ne protrahatur, nisi aliud iure particulari expresse caveatur.

§ 2. Attentis indole, fine et particularibus necessitatibus cuiusque Instituti, ius particulare adamussim definiat quae ad cooptationem temporariam spectant et potissimum ligamen quo temporarie cooptati cum Instituto coniunguntur, obligationes quas suscipiunt et iura quibus fruuntur.

§ 3. Ius particulare statuere (permittere) potest ut ligamen quo temporarie cooptati cum Instituto coniunguntur cuncta tria consilia evangelica, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, non comprehendat. Nihilominus sodales ita cooptati obstringuntur ad vitam Instituti propriam duendam et ad oboedientiam erga legitimum moderatorem ad normam eiusdem iuris particularis Instituti.

Can. tertius

Ad validitatem cooptationis temporariae, praeter conditiones quas ius particulare apponere potest, requiritur ut:

- 1) qui eam facturus est decimum saltem octavum aetatis annum compleverit;
- 2) novitiatus ad normam iuris peractus praecesserit;
- 3) idoneitas candidati ad hanc cooptationem actibus a iure praescriptis comprobata fuerit;
- 4) ad cooptationem candidatus admissus fuerit a legitimo moderatore ad normam iuris particularis.

Can. quartus

Qui vinculo temporariae cooptationis obstringitur ipso iure ab Instituto dimittitur si matrimonium contraxerit vel etiam nuptias coram ministro acatholico vel magistratu civili inierit vel attentaverit.

Can. quintus

§ 1. Expleto tempore cooptationis temporariae, si iudicetur idoneus et sponte sua id petat, sodalis ad cooptationem perpetuam vel definitivam admittatur; secus ab Instituto discedat vel dimittatur.

§ 2. Si vero legitimo moderatori necessarium videatur vel sodalis id petat tempus cooptationis temporariae prorogari potest, non tamen ultra triennium.

§ 3. Ob iustam causam cooptatio temporaria renovari potest ad tempus quod semestre non excedat et cooptatio perpetua anticipari non ultra mensem.

Post lectos hos canones, fit brevis disceptatio, in cuius fine approbatum est ut schema hoc a parvo coetu Consultorum recognoscatur, praesertim quoad normas can. 2.

Criteria vero fundamentalia quae circa hanc quaestionem in iure generali sustinenda censeant Consultores haec sunt: 1) in novitiatu suscipiantur generaliter sacra ligamina; 2) permissio tantum detur ut pro casibus specialibus (defectus maturitatis, etc.) alio modo provideri possit; 3) novitatus vero ultra novennium ne protrahatur.

Ita disceptatione expleta, preces de more dicuntur, atque huic VIII^{ae} Sessioni studii finis imponitur.

Romae, 24 ianuarii 1970.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum

RELATIO SEXTA

Titulus V: «DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM»

1. In praeterita sessione Coetus iste Studiorum examini subiecit canonem praeliminarem Tituli V: «De admissione in Institutum» et schema canonum Articuli I: «De praeparatione recipiendorum». Proposita fuit etiam Coetui Studiorum prima formulatio schematis canonum Articuli II: «De receptorum institutione», quod tamen examini subiectum non fuit ob defectum temporis. Post diuturnam et profundam discussionem, canon praeliminaris approbatus est sicuti propositus fuerat a Coetu restricto. Canones vero Articuli I: «De praeparatione recipiendorum» sat profundam subierunt mutationem et quidam approbati non fuerunt.

Canon vero iudicans personas quae invalide in Institutum admittuntur, statutis casibus in eodem includendis, remissus est Relatori et Coetui restricto pro nova formulatione. Propterea in hac Sessione octava ab examine huius canonis incipiendum est. Attamen, tenorem canonum approbatorum huius primi Articuli Tituli V considerans qui fere omnes conditione statuunt sive admittentis sive admittendorum, Coetui Studiorum propono ut rubrica huius primi Articuli non remaneat: «De praeparatione recipiendorum», sed mutetur in sequentem: «De conditionibus ad recipiendum» vel: «De requisitis ad candidatos recipiendos». Ita nigrum magis cum rubro concordabit.

2. Canon indicans personas quae invalide in Institutum admittuntur (qui est tertius in Quinta Relatione et quartus inter «Canones Propositos» die 24 mensis Septembris 1969) sequenti modo formulatus est a Coetu restricto:

CANON TERTIUS

Invalide in Institutum admittitur:

- 1) Qui decimum septimum aetatis annum nondum compleverit;
- 2) Conversus, qui in fide catholica tres annos nondum transegerit, exceptis casibus a iure particulari praevisis;

- 3) Coniux, durante matrimonio;
- 4) Qui vinculo cum aliquo Instituto actu obstringitur;
- 5) Qui occultaverit: *a)* se in aliquod Institutum antecederet admis-
sum fuisse; *b)* se gravi aere alieno gravatum esse; *c)* se obnoxium esse red-
dendae rationi iudici vel alii auctoritati legitime inquirenti.

Notae:

1) Quoad primum et tertium numerum huius canonis nihil est adiungendum quia textus iam in praeterita Sessione concordatus fuerat.

2) In secundo numero addita est clausula: «exceptis casibus a iure particulari praevisis» ut detur possibilitas Ordinariis in casibus particularibus brevius tempus statuere, si adiuncta casus id opportunum reddiderit, iuxta iudicium prudens eorumdem Ordinariorum vel Moderatorum Instituti. Quidam Consultores enim maiorem libertatem in hac parte voluerunt.

3) In numero quarto Coetui visum est opportunum invaliditatem admissionis coarctare pro illis qui «actu» vinculo quodam adstringuntur cum aliquo Instituto. Hic namque habetur evidens incompatibilitas quae tamen non apparet pro illis qui, etsi antecederet in aliquod Institutum admissi fuerint, actualiter nullum vinculum cum illo Instituto habent ac proinde non apparet motivum eos excludendi simpliciter sub poena nullitatis admissionis. Conditio necessaria pro istis statuitur in sequenti numero sub *a)*.

4) Tres casus sub numero quinto indicati iam admissi fuerunt quoad substantiam in praeterita sessione. Formulatio tamen definita non fuit. Tria adiuncta personalia hic considerantur quae forsitan magis quam alia damnum vel praeiudicium Instituto afferre possunt. Sed in his casibus id quod per invaliditatem admissionis magis vitari intenditur est admissio eorum qui iam ab initio honestatem et sinceritatem non demonstrant ac propterea inidonei aestimandi sunt. Sub littera *b)* non adiungitur: «qui solvendo par non sit» quia hic agitur magis de occultatione debiti quam de eius quantitate et propterea non habetur ratio distinguendi. Sub littera *c)* generaliter dicitur: «iudici vel alii auctoritati» ut includatur quoque vindicatio iuris ab auctoritate publica via administrativa facta. Tandem ponitur «legitime inquirenti» quia nimis durum apparet invaliditatem admissionis statuere pro occultatione a legitimis moderatoribus alicuius facti «possibiliter» persequibilis ab auctoritate publica.

3. His positus quoad Articulum I, ad examen canonum Articuli II fit transitus. In schemate generali approbato Articulus iste habet tamquam rubricam: «De receptorum institutione». In praeterita sessione Coetus Studiorum commisit coetui restricto vel subcommissioni ut primo examini subiiceret schema canonum huius Articuli iam a me propositum. Quod diligenti cura iam factum est. Examine absoluto, Articulus constat octo canonibus in quibus ex ordine statuitur: 1) generalis descriptio finium tem-

poris probationis; 2) auctoritas quae novitiatum erigere vel suppressere potest; 3) series conditionum pro novitiatu validitate; 4) regimen novitiatu sub directione magistri; 5) munus magistri, novitiorum et sodalium in opere formationis; 6) valor novitiatu pro una classe sodalium peracti etiam pro alia eiusdem Instituti; 7) possibilitas studiorum ex parte novitiorum quae ad eorum spiritualem formationem diriguntur; 8) libertas novitii discedendi et moderatorum illum dimittendi quolibet momento. Coetus Studiorum iudicabit utrum canones propositi approbari possint et utrum sint sufficientes pro intentu huius Articuli.

Notare volo me noluisse pro momento mutare terminologiam quae in Codice viginti adhibetur in hac parte. Quaestio terminologiae erit tractanda tempore opportuno non solum pro hac parte sed pro universa tractatione de Institutis perfectionis.

Articulus Secundus: *De receptorum institutione*

CANON PRIMUS

Probationis tempus, quo vita in Instituto incipitur, ad hoc ordinatur ut novitii vocationem divinam, et quidem Instituti propriam, pressius agnoscant, vivendi modum Instituti experiantur, mente et corde eius spiritu informentur atque ipsorum propositum et idoneitas comprobentur.

Notae:

1) Statuitur imprimis in hoc canone novitiatum esse tempus probationis sive ex parte novitii sive ex parte moderatorum Instituti. Per admissionem tamen ad novitiatum etsi non perfecta, iam habetur initium vitae perfectionis in Instituto (cfr. Instructionem: *Renovationis causam*, n. 13, I, ubi expresse dicitur: «Vita religiosa incipit a novitiatu»).

2) Deinde indicantur fines persequendi, novitiatu perdurante. Iam tempore praeparationis ad novitiatum candidati tenentur vocationem propriam discernere et probare. Sed illa praeparatio dici non potest adaequata ad vocationem intime cognoscendam. Iste est finis praecipuus novitiatu et propterea dicitur: «ad hoc ordinatur ut novitii vocationem divinam, et quidem Instituti propriam, pressius agnoscant». Absque dubio etiam legislatio vigens agnoscit necessitatem vocationis divinae in candidato pro Instituto perfectionis, sed huiusmodi necessitas expressis verbis non indicatur (cfr. can. 565). Tempus autem proprius quo candidati ad vitam perfectionis suam vocationem melius agnoscere et probare possunt est novitiatu ubi media ad hoc idonea inve-

nire possunt. Haec tamen vocatio numquam est vocatio generalis, seu ad vitam perfectionis ut sic sed est vocatio specialis seu ad vitam perfectionis in aliquo determinato Instituto ducendam et propterea dicitur: «et quidem Instituti propriam».

3) Agnoscere tamen propriam vocationem illamque probare non est unicus finis novitiatus. Oportet ut novitius bene cognoscat modum vitae qui in Instituto ducitur et ut spiritu Instituti proprio imbuatur per experimenta et exercitia quae durante novitiatu fiunt. Hoc modo et intentio et idoneitas ad vitam in Instituto agendam comprobantur tam ab ipsis novitiis quam a moderatoribus quibus onus incumbit vocationem novitiorum discernere et comprobare.

CANON SECUNDUS

Novitiatus constitutio seu erectio eiusdemque suppressio fiant per decretum scripto datum Supremi Moderatoris Instituti de consensu sui Concilii.

Notae:

1) Iuxta vigentem disciplinam non habebatur erectio novitiatus sed erectio domus novitiatus (cfr. can. 554). Ratio videtur esse sequens. Nulla vita perfectionis in Ecclesia agnoscebatur usque ad promulgationem Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia* anno 1947 praeter vitam religiosam stricte dictam in qua vota publica emittuntur cuique necessario coniungitur vita communis (cfr. can. 487). Propterea vita perfectionis intime connectebatur cum idea domus et consequenter etiam novitiatus necessitatem loci praeseferebat. Materialiter novitiatus est pars domus religiosae et formaliter pars communitatis illius domus. Post apparitionem tamen supra citatae Constitutionis Apostolicae et magis adhuc post promulgationem Constitutionis Dogmaticae *Lumen Gentium* Concilii Vaticani II, clarum remanet nec emissionem votorum publicorum nec vitam communem ad essentiam vitae perfectionis necessarias esse. Propterea in iure recognoscendo normae disciplinam statuentes Instituta perfectionis in genere respicientem abstrahere debent ab idea vitae communis et loci. En quare in hoc canone fit sermo de erectione vel constitutione novitiatus et de eius suppressione absque ulla mentione loci vel domus.

2) Iure Codicis in religionibus iuris pontificii erectio domus novitiatus vel multiplicatio domorum novitiatus in eadem provincia fieri non poterant absque licentia vel indulto S. Sedis. Cum tamen agatur de negotio mere interno ipsius Instituti et actio S. Sedis restringatur ordinarie ad meram rescripti concessionem, non apparet ulla utilitas practica huiusmodi licentiae vel indulti. Re quidem vera, haec praxis iam abrogata est per promulgationem Instructionis *Renovationis causam* n. 16, ubi dicitur: «Ad novitiatus constitutionem non requiritur licentia Apostolicae Sedis». Etiam modus loquendi in hac Instructione mutatus est. Non amplius fit sermo de erectione domus novitiatus sed «de constitutione novitiatus». Has ob rationes in canone proposito ma-

lui loqui «de erectione seu constitutione novitiatus». Additur etiam «suppressio» ad hoc ut non sit postea necessarium alium canonem formulare hac de re.

3) Cum agatur de gravi negotio pro vita Instituti sive in casu erectionis seu constitutionis sive in casu suppressionis; necessarium duxi has actiones reservare Supremo Moderatori Instituti, prehabito tamen consensu sui Consilii. Iam citata Instructio *Renovationis causam* n. 16 admittit etiam constitutionem novitiatus ab aliis moderatoribus Instituti de licentia Supremi Moderatoris, si Constitutiones ita ferant. Coetus autem restrictus huiusmodi casum non admisit tam ob gravitatem negotii quam ob inutilitatem concessionis. Si enim semper erit necessaria licentia Supremi Moderatoris non apparet motivum ob quod ipse Supremus Moderator non deberet decretum erectionis per semetipsum facere. Ob eandem rationem gravitatis negotii necessarium duxi requirere consensum Consilii generalis.

CANON TERTIUS

Praeter conditiones forte a iure particulari appositas, novitiatus, ut valeat, debet:

- 1) initium habere modo a iure particulari statuto;
- 2) manere sub continua directione magistri;
- 3) peragi iuxta rationem institutionis a iure particulari definiendam;
- 4) perdurare per spatium temporis unius saltem anni continui, salvis praescriptis can...

Notae:

1) Sicut iam notavi supra (cfr. notam 1 ad canonem praecedentem) ad intelligenda praescripta huius canonis non est adhibendum criterium codificatorum Codicis vigentis quod radices invenit in necessitate vitae communis et consequenter in exigentia loci determinati. Abs dubio non est facile pro illis qui per sat longum tempus has conceptiones in mente radicas habuerunt illas derelinquere, sed mihi videtur hoc necessarium esse, saltem in hac parte iuris recognoscendi, ad praescripta statuenda quae omnibus institutis perfectionis adaptabilia sint.

2) Proposui clausulam: «Praeter conditiones forte a iure particulari appositas», quia evidenter ius commune debet minimum imponere ad praecavendas nullitates non stricte necessarias, sed non intendit prohibere Institutis ab apponendis aliis conditionibus, etiam ad validitatem, si hoc opportunum vel necessarium duxerint, attentis praesertim indole, fine et peculiaribus necessitatibus cuiusque Instituti.

3) Prima conditio respicit initium novitiatus. Cum hodie vix statui potest susceptio habitus, sicut factum est in Codice (cfr. can. 553), tamquam initium novitiatus quia hoc esset inintelligibile pro pluribus Institutis et cum hodie tendentia apparet in

pluribus Institutis, praesertim femininis, minus pondus tradere caeremoniae initii novitiatus et maius illi professionis, necessarium videtur imponere omnibus Instituti ut initium novitiatus absque ulla ambiguitate determinent in proprio iure particulari ad possibiles abusus vitandos quoad novitiatus durationem.

4) Secunda conditio est maximi momenti. Ex una parte ad veram et adaequatam institutionem novitiorum non sufficit ut magister nominatus vel institutus sit et resideat in loco a iure particulari praescripto, sed necessarium est ut novitiatus et novitii sint sub activa eius directione, quae, ut efficax sit, oportet ut protrahatur per totum tempus novitiatus. Non desunt certe defectus et abusus in hac re.

5) Tertio loco exigitur ut novitiatus peragatur iuxta rationem institutionis a iure particulari definiendam. Haec conditio necessaria apparet imprimis ut moderatores competentes conscii reddantur de necessitate formulandi hanc rationem institutionis seu formationis et illam adaptandi ad peculiare necessitates Instituti. Est etiam necessaria ut novitii faciliter ne avertantur ab exercitiis formationis ad alias occupationes et domestica ministeria peragenda, sicut non raro accidit.

6) Tandem duratio minima temporis novitiatus statuitur. In can. 555, § 1, 2^o praescribitur ut novitiatus peragatur per « annum integrum et continuum » et in n. 21 Instructionis *Renovationis causam* idem tempus statuitur. Et in hoc concordat norma proposita. Quoad interruptionem tamen novitiatus normae sat minutae dantur tam in Codice quam in citata Instructione (cfr. can. 556, §§ 1-2, 4 et Instr. n. 22). Hae tamen normae, cum datae sint pro Institutis religiosis, adhuc imbibitae sunt cum conceptione loci et propterea Coetus restrictus magnam difficultatem invenit eas adaptandi pro hac parte iuris communis recognoscendi quod praescripta tradere debet pro omnibus Institutis perfectionis. Propterea opportunum visum est in hac parte nullam mentionem facere de interruptione novitiatus illamque relinquere pro parte speciali ubi singillatim tractandum est de singulis categoriis Institutuum perfectionis. Quaestio etiam hic oritur de periodis actuositatis formativae quas citata Instructio permittit novitiis Institutuum activitati apostolicae dediturum (cfr. Instr. *Renovationis causam* nn. 5, 23-25, 31). Sed cum istae periodi non omnibus Institutis convenient, de eis hoc in loco nihil videtur dicendum et praescripta necessaria ponenda sunt in parte speciali pro categoriis Institutuum quibus hae periodi adaptari possunt. Sufficit igitur ad haec omnia indicanda in hoc numero addere: « salvis praescriptis can... ». Canones autem indicabuntur quando pars specialis examini iam subiecta erit et relativi canones formulati.

CANON QUARTUS

§ 1. Novitiatus regimen, sub auctoritate moderatorum maiorum, uni magistro reservatur.

§ 2. Novitiorum magister sit sodalis in Institutum definitive cooptatus et legitime designatus iuxta requisita iuris particularis.

§ 3. Magistro, si opus fuerit, cooperatores dari possunt qui in omnibus ei subsint quoad regimen novitatus et institutionis rationem.

Notae:

1) Prima § nihil aliud est quam synthesis quaedam can. 561, § 1. Responsabilitas nempe directa et immediata institutionis novitiorum magistro competit tam propter unitatem formationis tradendae novitiis eiusdem Instituti quam ob rationes practicas regiminis ipsius novitatus. Responsabilitas vero mediata et ultima gravat moderatores maiores Instituti ad normam iuris particularis qui super actionem magistri invigilare tenentur et quibus ipse respondere tenetur. Esset erratum hoc loco statuere cuinam competat in novitatum intrare etc. sicut fit in can. 564, § 1, propter rationes supra allatas (cfr. notam 1) ad canonem praecedentem). Nec opportunum videtur definire quibusnam competat novitios visitare, quia hoc iam implicite continetur in clausola: «sub auctoritate moderatorum maiorum». Iuris particularis est haec omnia determinare secundum necessitates et adiuncta cuiusque Instituti.

2) Ex pluribus requisitis iuridicis et moralibus pro constitutione magistri statutis in can. 559, § 1, nullum hoc in loco refertur, sed tantum statuitur tamquam conditio necessaria ut sit sodalis definitive in Institutum cooptatus. Visum enim est mihi aliisque membris sub-commissionis quod maxima varietas Institutorum hodie in Ecclesia existentium eorumque diversissima adiuncta non permittant nimiam determinationem in hac re absque detrimento et gravi incommodo multorum Institutorum. Ceterum, ius est Instituti (et forsitan etiam onus, attentis indole, fine et regimine interno) alia requisita imponere iure particulari. Immo, hoc innuitur in verbis canonis: «legitime designatus iuxta requisita iuris particularis». Haec requisita respicere debent non tantum modum designationis sed etiam qualitates personae.

3) Sicut in can. 559, § 2, in § 3 datur possibilitas pro magistro habendi cooperatores in opere formationis novitiorum. Hi tamen oportet ut sint veri cooperatores ac propterea magistro subiecti esse debent in iis quae ad novitatus regimen et rationem institutionis spectant. Omnes aliae determinationes circa qualitates iuridicas et morales cooperatores iuri particulari relinquuntur ut maior libertas detur ipsis Instituti et moderatoribus seligendi magis idoneos.

CANON QUINTUS

§ 1. Institutioni novitiorum praeficiantur sodales apte selecti et sedulo praeparati qui opus gravissimum pro bono totius Instituti fructuose et stabili modo absolvere possint.

§ 2. Magistri eiusque cooperatorum est candidatorum vocationem discernere atque eos gradatim ad vitam perfectionis Instituti propriam rite ducendam efformare iuxta normas a iure particulari statutas.

§ 3. Novitii ad virtutes humanas et christianas excolendas a magistro eiusque cooperatoribus adducantur; per humilitatem cordis, animi ardorem et suiipsius abnegationem in plenioram vitae spiritualis viam introducantur; in vitae interioris principiis applicandis informentur; ad mysterium salutis contemplandum et S. Scripturas legendas et meditandas instruantur; in ratione vitae Deo per consilia evangelica consecratae instituuntur; Instituti indolem, finem, leges, historiam atque spiritualitatem edoceantur et in vitae modo eiusdem Instituti proprio exercentur.

§ 4. Novitii persentiant responsabilitatem propriae formationis sub magistri ductu peragendae in libera cooperatione cum divinae vocationis gratia.

§ 5. Curent sodales ut in opere institutionis novitiorum pro parte sua cooperentur vitae exemplo et oratione.

Notae:

1) Canon iste, tenoris potius pastoralis quam iuridici, ponitur post praescripta quae respiciunt propositum novitiatus, moderatores competentes novitiatum constituendi, condiciones requisitas pro validitate novitiatus necnon magistrum novitiorum eiusque cooperatorum ut omnes conscii sint de propria responsabilitate in opere gravissimo institutionis novitiorum. Methodus inserendi canones huiusmodi tenoris inter alios qui stricte iuridici sunt non est nova in hac parte et concordat cum «Principiis quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant» a Pontificia Commissione propositis et a Synodo Episcoporum adprobatis (cfr. n. 3, p. 10).

2) Prima § iis dirigitur qui ad normam iuris particularis de institutione magistri eiusque cooperatorum decisionem haud facilem ferre debent. Paucis verbis § constituit monitum grave pro moderatoribus ut sepositis omnibus aliis considerationibus personas seligant pro his muneribus quae vere idoneae et paratae sint.

3) In §§ secunda et tertia recoluntur graves obligationes magistri et cooperatorum eius et imprimis discernendi veras vocationes a falsis et novitiis qui veram vocationem demonstrant solidam et specificam institutionem tradendi iuxta necessitates et leges Instituti de quo agitur. Id autem quod modo generali statuitur in § 2 quoad gradualem formationem novitiorum ad vitam perfectionis Instituti, in § 3 magis explicite definitur. Ibi determinatur quasi quoddam iter quod incipit culturam virtutum humanarum et christianarum et paulatim attingit ad exercitium modi vivendi ipsius Instituti.

4) In § quarta opportune prae oculis novitiorum ponitur eorum responsabilitas in acquirenda solida et adaequata formatione sub ductu magistri. Methodus hucusque adhibita in pluribus novitiis probabiliter apta non erat ad fovendum spiritum cooperationis activae cum actione magistri in formatione ex parte novitiorum et isti nullam conscientiam propriae responsabilitatis demonstrabant neque durante novitiatu neque postea. Forsitan tot defectiones quae hodie pro dolor lugentur in plurimis

Institutis perfectionis malas radices habent in defectu formationis et sensus responsabilitatis perdurante novitiatu.

5) In ultima § recolitur obligatio omnium sodalium Instituti cooperandi in opere formationis novitiorum pro parte sua, nempe meliori modo quo possunt iuxta condiciones in quibus inveniuntur, saltem vitae exemplo et oratione.

CANON SEXTUS

In Institutis quae plures retinent sodalium classes, novitiatus pro una classe peractus valet pro altera, nisi ius particulare aliter determinet.

Notae:

Iure Codicis praescriptum contrarium vigeat (cfr. can. 558), sed Instructio *Renovationis causam* disciplinam mutavit statuens in n. 27: «In societatibus, in quibus diversi sunt novitiatus pro diversa sodalium qualitate, novitiatus, nisi aliter in Constitutionibus caveatur, pro uno genere peractus pro altero valet. Condiciones quibus hic transitus fiat, per Constitutiones, si casus ferat, definiantur». Mihi visum est opportunum novam disciplinam retinere quia his ultimis temporibus institutio quae a sic dictis Conversis vel Fratribus cooperatoribus in multis Institutis datur apparet magis elevata et non habetur magna differentia ab illa quae alterae classi impertitur. Ceterum, hoc praescriptum restringitur ad numerum Institutorum non nimis altum qui in futuro magis adhuc coarctabitur propter monitum a Patribus Concilii Vaticani II Institutis mulierum datum ut ad unam classem sodalium perveniant, nisi rerum adiuncta aliud vere suadeant (cfr. Decretum *Perfectae Caritatis*, n. 15).

CANON SEPTIMUS

Perdurante novitiatu, studia quae alumni permittuntur ad eorum spirituales formationem dirigantur et ita ordinentur ut nociva non evadant solidae eorum institutioni.

Notae:

Quae in canone statuuntur obvia sunt, attento proposito novitiatus in primo canone huius articuli descripto. Attamen praescriptum inutile non videtur propter inclinationem quae in non paucis Institutis persentitur includendi quaedam studia humanitatum tempore novitiatus quae antea facta non fuerant vel illa continuandi. In Institutis tamen quae ex iure particulari novitiatus ad duos annos protrahitur norma hic statuta non videtur stricte interpretanda pro secundo anno seu pro anno qui solet vocari «non canonicus».

CANON OCTAVUS

§ 1. Novitius potest Institutum quolibet momento libere deserere aut a competenti auctoritate Instituti dimitti, iusta de causa et ad normam iuris particularis.

§ 2. Exacto novitiatu, si idoneus iudicetur, novitius in Institutum cooptetur, secus dimittatur vel si dubium supersit de sua idoneitate, potest a competenti auctoritate Instituti probationis tempus prorogari, non tamen ultra sex menses.

Notae:

1) Hic canon substantialiter refert praescripta §§ 1-2 can. 571 et expositione vix indiget. Additio verborum: « quolibet momento » facta est ad inculcandam libertatem novitii discedendi quodcumque ei placuerit et ut moderatores discessum non impediant quovis praetextu. Opportunum non duxi in § 1 addere verba sequentia can. 571, § 1: « quin Superior vel Capitulum teneantur dimissionis causam dimisso patefacere ». Haec clausula nostris diebus male sonat et vix umquam iustificationem invenire potest. Ex alia parte, ut experientia constat, verba haec possunt constituere effugium pro abusu potestatis ex parte moderatorum vel saltem medium ut iidem moderatores propriam responsabilitatem ne assumant coram novitio dimisso.

2) Tempus possibilis prorogationis novitiatus in casu dubiae idoneitatis a can. 571, § 2 statutum non mutavi, etsi non desint qui prorogationem unius anni praeferant vel etiam ut possibilis prorogatio in casu relinquatur definienda a iure particulari. Cum tamen in plurimis Institutis femininis novitiatus duorum annorum iam habeatur et Instituta operibus apostolatus dedita possunt, per interiecta spatia actuositatis formativae, novitiatum ad duos annos protrahere (cfr. Instr. *Renovationis causam* n. 24, 1), exaggeratum censeo concedere prorogationem ultra sex menses.

Nota bene:

1) Post examen et discussionem a Coetu restricto factam, schema canonum huius Articuli secundi a me propositum Coetui Studiorum die 27 mensis Septembris 1969 ita mutatum apparet: canones secundus et tertius partialiter inclusi apparent in canonibus tertio, quarto et quinto novi schematis; canon quintus fit canon sextus novi schematis; canon septimus partim refertur in canone septimo novi schematis et canon decimus apparet tamquam canon octavus novi schematis.

2) Canones vero sextus et octavus illius schematis non apparent in novo schemate quia obiectum eorum non potest includi in parte generali schematis totius tractationis de Institutis perfectionis et locum aptiorem invenire possunt in parte speciali ubi normae statui debent de Institutis operibus apostolatus deditis.

3) Canon autem nonus illius schematis, qui de solutionibus faciendis a novitiis

pro expensis et de norma quae vetat moderatoribus exigere aliud praeter expensas et novitiis quidquam praetendere pro operibus forsitan praestatis, e novo schemate expunctus est quia magis opportunum visum est totam hanc questionem iuri particulari considerandam relinquere. Coetus tamen Studiorum erit decernere canones ex illo schemate expuncti reassumi debeant necne.

Romae, die 16 mensis Decembris 1969.